et piam conjugem et caros liberos tuos filio
Dei commendans (quanquam indignum vile preci-
um est) tamen quantulum erit cunque grato
certè animo admetiar, et ex tuo te officio meo
more beabo. Exemplar mei carminis abortivi,
ut vellem mancipi potuisses, non est meum ma-
lè precari cuiquam, neque ausim excandescere, nisi simul
doleo illam mihi injuriam ab amico factam esse,
scripseram ante duos menses carmen εὐχαριστὸν
ad Filium Dei, qui factus est victima, id eram Esaiae
versibus congruenter ni fallor additurus, nunc ita
commotus sum, ut et calamum culpem, et ipsum scripto-
rem, qui me multa in torquendo id modo assequutus
sum, ut videar indolis singularem ac tenerè didicis-
se. Sed ista valeant. Non omninò de nihilo fuit,
quod de D. Philippo scripseras. Tandem enim
fato concessit vir unus imprimis repurgandae
doctrinae et conciliandis Ecclesiae dissidiis natus,
quem à suis penè conspuatum, si qua deinde post-
eritas futura est venerabitur, et praestantis-
simis Ecclesiae heroibus adnumerabit. Vale Cal. Maij 1560.

198. D. Herberto à Langen. Bremae

Pax Christi.

Saepè irascor turbulentis solicitudinibus, quae me ami-
cis absentibus operam quae debetur dare non per-
mittunt. imò ne praesentibus quidem, si maximè ve-
lim, adesse ulla in re possum, adeò distineor, ut
aegrè uxori bene volus esse possim. Extra jocum, ipse
quando sum mecum nihil magis in me damnare
soleo, quàm quod sic jactor, sic fluctuo, sic discer-
por, ut ubi desiderem esse imprimis officiosus
Cumque in epistolis ad amicos veteres mittendis,

[EMscr. a. 7: Nr. 58]

dis) ibi plerumque necessitas tot rerum incumbentium
me cogat officii deesse. Quod si vota labori-
busque interfectis precationibus nullas crebris asper-
sis officiis amicitiae adnumeras (quanquam hic satis
imbecillis opera [illegible] est) liquet mihi deserere
me quamlibet distractum subinde meos quasi
fraternos vestris fratribus junxisse. Sin solidius
aliquod et rectius ad vos scribo argumen-
tum requiris tam celare culpam non possum,
quam cogor in hanc partem crebris peccare. At
quid agam? Ita enim natus sum. De turba rerum
vestrarum cogitatio etiam mihi est acerbior quod
a publicis lachrymis privatus quasi moeror auc-
tus, non enim ignoro in me illa Demodocula verba de-
cretis alioqui me judicio gravissimo, neque bonorum
sufficientiae satisfecisse. Filius Dei illustrissimus
humanae gentis heros qui molem immanem peccato-
rum nostrorum tulit et pertulit in invictissimo
corpore suo super lignum, misereatur Ecclesiae suae, mise-
reatur et nostri propter nomen suum. Amen.
Si quod precium opera est in suspiriis hominis
melancholici, ego cum lachrymis saepe interdiu
causam vestram simul et meam Domino supplici-
ter commemorabo. Magnum tum et datoris bene-
volentia et bonis auspiciis commendatum utrique
nostrum longe gratissimum fuit. De adolescentibus
faciam quae potero et libenter. Nostrae res medi-
ocres sunt etiam nunc, sed tamen habent aliquod
incrementum, et spem certe non prorsus vanam
ostendunt, puerorum autem bellissime valent,
Dei beneficio et ego quoque cum nova conjuge sa-
tis commode vivo, nisi quod sic involvor curis
tum domesticis tum scholasticis ut vix aliquando ducere
tranquillum spiritum possim. Distrahor nam

tam à scribendo, neque possum ut maxime cupiebam
prolixius cum amicissimo fratre et patrono col-
loqui. Vale cum familiari tuo D. Petro cum D.
Doctore et amicis ceteris. Duisburgi ipsis Pente-
costes mane 1560.

Multis nominibus tibi obnoxius
Johannes Molanus.

199.)
[= Mann. a. 4, Nr. 59]

Bartholomeo Mercatori
meo affini Duisburgi.

Ex tuis literis facile conjecto Bartholomee, quid
de mea institutione loquantur homines. At
quas tu mihi quaeso plagas scholarum memoras!
quae verbera! quas ferulas! quam denique
servitutem tuus animus praesagit! garrire ista
de nobis ignarum vulgus minus miror, quam te
ista credere et epistolis mandare. Non potest
in hac mundi laxitate morumque tam tetra bar-
barie non et invisa multis esse et vulgo tra-
duci domestica severitas et disciplina, quam
tamen non dubitavit Spiritus sanctus παι-
δείαν τοῦ Χριστοῦ appellare. Ceterum in stu-
diosis et tui similibus non fuit ulla unquam a-
pud me dura servitus, neque flagrum habemus nisi
adversus flagitia quorum inveniri nequeat alia
medicina ab iis quum te sciam abesse longissime,
miror tibi nihil nisi ferulas, verbera et pla-
gas in mentem venisse. Quod porro convicto-
ris mihi loco esse mavis, quam discipuli, quid
hoc sibi velis, non video nisi forte mensam pro-
bes meam magis, quam doctrinam, nam quod
discipulum interpretaris ferula et virgis obno-
xium, ex vulgaribus probris depromptum est,
nihil pertinet ad nostram institutionem.